

quibus utebantur in acquisitione loci Tunal. *N* Aquilam significat, qua ibidem nudulabatur. O Habitationem sive mansionem eorum. Quæ sane omnia nil acuminis & arcani continere nemini dubium est. At enim se-  
cūs existimasset vir ad stuporem usque eruditus, si aut Codices eas figuræ interpretantes à nostris conscriptos ad manus habuisset, aut vivum Inter-  
pretem nactus esset, quo de ijs & cæteris doce-  
retur, in queis facile, citra piaculum quidem, er-  
rasse noravit D. Carolus de Siguenza & Gonzo-  
ra, addicissimus si quis ullus P. Kircherio, obi-  
ter hæc attingens in Politicarum Theatro virtu-  
tum præludio 3. pag. 17. Quod ne pro arbitrio  
nostro dictum videatur, non abs re erit paucula  
indigitare ex ijs quæ Kircherius ipse habet tom.  
1. Edipi item Ægyptiaci syntagmate 5. pag.  
817. & seq. cap. 5 cuius titulus est: *De Religio-  
ne Americanorum Ægyptiaca Parallela*. Multa postquam  
fusè describit pristinæ Americanorum idololatriæ,  
Templaque Ægyptiorum exemplo mystica quæ-  
dam in modum Pyramidum ædificata refert, ac  
depromptam à Ferdinandi Cortezij scriptâ nar-  
ratione ob oculos ponit Figuram Fani Horcolio-  
vos ( lege Huitzilopochtli ) Numinis Americani; ad  
extremum subjungit: *Multa mihi hoc loco de mysticis  
hujus Idoli imaginibus, quarum interpretationem ex PP. no-  
stris Mexicanis percepi, dicenda forent; verum quando qui-  
dem ea alteri loco reservavimus, supervacaneum esse ratus  
sum, ijs hic diutius inherere. Sufficiat interim hoc loco Ame-  
ricana ad Ægyptiacam idololatriam affinitatem, quo unicæ  
collimabamus, demostrasse*. Hæc Kircherius, è quibus  
conficimus duo instituto nostro quam opportuna.

Pri-

Primum, mysticas in Mexicis Idolis agnoscisse significationes, ubi Patres Societatis JESU Mexicanos ea de re loquentes audivit vir doctissimus. Secundum, Mexicanam idololatriam Ægyptiacæ parallelam non dubitasse; quarum cum affinitatem & alij nostrates agnoverint, & præ cæteris coemptam habuerit citatus supra, nec sine laude memorandus Siguenza, erutam studio ejus è Mexicanis antiquissimis monumentis authographis, unæque convenientiam & in putandis annis & in habitu & ceterâ consuetudine politicâ & religiosâ, nullus ipse anceps fuit in eorum sententia tutanda, quam multi tenent à se allegati in dicto Præludio, pluri-  
bus edocens Mexicanos ab Egyptijs progenitos, à queis una cum sanguine cætera hauserint, & quod proprius argumento nostro est, Characteribus Hieroglyphicis litterarum instar fuisse usos. Sed de ijs hactenus. Modò ad alia antiquorum eruditionis Mexicanensium documenta stylum con-  
vertamus oportet.

## ANTELOQUIUM IV.

Illustria aliquot monumenta tradun-  
tur, queis proximé dicta illustrantur  
atque firmantur, ulteriusque priscorum  
eruditio Mexicanensium validé  
asseritur.

Jam vero locupletes dictorum testes afferamus  
par est. Ii porro tot sunt, ut multi essemus,  
nec

nec sine lectorum fastidio, si cunctorum sillabum texeremus. Ea propter notiores famosioresque dabitur, qui aut Mexicanorum Volumina, ut diximus, Characteribus & Imaginibus exarata commendant, aut Kalendaria ingeniosè constructa exhibent, aut Poematia indigitant, aut cætera ingeñij & doctrinæ argumenta pandunt & laudant. F. Joannes de Torquemada in Monarchia Indica tom. 1. lib. 1. cap. 11. pag. 30. Editionis Madritanæ anni 1723, & in Proœmio lib. 2. pag. 75. & lib. 4. cap. 19. pag. 395. & alibi, Cogolludo in Hist. Yucatanensi lib. 4. cap. 6. pag. 189, & lib. 6. cap. 1. pag. 309. Betancurtius in Theatro Mexicano secunda part. capp. 5. 6. 7. à pag. 61. & alibi. Henricus Martinez in Repertorio temporum & Historia naturali Nova Hispaniæ tract. 2. cap. 9. pag. 105. Illmūs. D. D. F. Franciscus Núñez de la Vega, in Constituit. Diocesanis Episcopatus Chiapensis in Praæambulo §§. 28. 29. 30. 31. & tit. 30. §. 2. Ludovicus Becerra Tanco, in Felicitate Mexicea, seu de Apparitione Imaginis Guadalupiæ Virginis pag. 42. Editionis Madritanæ anni 1745. & alibi ejusdem Opusculi. P. Florencia in Historia ejusdem Guadalupana Imaginis cap. 15. fol. 29. col. 2. Rea in Historia Provinciæ Michoacanensis Franciscanorum lib. 1. cap. 5. fol. 8. col. 1. & alibi ejusdem Operis. P. Acosta in Historia naturali & moralı Indianum lib. 6. cap. 7. D. D. Joannes de Solorzano de Jure Indianum tom. 1. lib. 2. cap. 8. n. 96. F. Antonius à Matre Dei, Pintianus, Carmelita Excalceatus in Præludijs Isagogicis prælud.

2.

2. dub. 2. & § 2. n. 22. pag. 163. Boturini in Idæa novæ Hist. generalis Americæ nostræ, & in Catalogo Musæi Hist. Indici tertio quoque verbo. Illmūs. D. D. D. Josephus Adame & Arriaga in Imperiali Mexicana Universitate illustrata pag. 567. n. 2241 & 2242. Gomara in Historia Mexicea tom. 2. fol. 213. D. Antonius de Solis, in Hist. Expugnationis Mexiceæ lib. 2. cap. 1. Garcia in Origine Indorum Novi Orbis lib. 4. cap. 22. pag. 238. Edit. novissimæ, cap. 23. pag. 246, & cap. 24. §. 1. pag. 251. & §. 7. pagg. 232. & 233. Ut verò multa paucis complectamur & demus Emmanueli Martino, viro Eruditis exteris addictissimo, placet hic Eruditorum Lipsiensium fragmentum transcribere, quod extat tom. 8. supplem. pag. 301. ubi: *Periegesis vel Iter per universum Orbem Authore D. Joanne Francisco Gemello Carrero ( quem Lipsienses ipsi Docifimum virum Neapolitanum & jCtum appellant ) exhibetur. Lectu digna est descriptio hujus Urbis ( Mexici ) Regionisque ab Authore facta; Aedium pulchritudine Italiae urbibus parem, farniarum Italiam superiorem esse predicit; incolarum centum millia, &c:: Curiosissima sunt in primis duo monumenta ab Authore tom. 6. pagg. 28 & 45. exhibita, quorum altero tota gentis Mexicana Chronologia inde ab ortu ejus, una cum notabilioribus eventibus & fatis; altero Cyclus secularis Mexicanus, utrumque per Symbola & Characteres hieroglyphicos representatur. Taceamus Pyramides duas Soli & Luna dicatas, eorumque Imaginibus ornatas, ex Saxo pregrandi, que tamen ab Hispanis confacta eversaque jacent. Vindicavit hac omnia ab interitu quem Hispanorum ruditas minabatur ( hæc scilicet est repe-*

\*

repetita ab exteris in nos cantinela, & ab Alo-  
nenſi Decano plenis buccis iterum atque iterum  
decantata.) Juan de Alva Dominus de Cetzaꝝ go, &c.  
qui ex Regibus Tezcuci descendebat; explicavit vero eadem  
D. Carolus de Siguenza & Gongora Cathedraticus & Pro-  
fessor Matheos Universitatis Mexicana in sua Cyclogra-  
phia, qui & idem edidit alium Tract. sub titulo Libra Astro-  
nomica: Quantum ad reliqua Author exercitationibus &  
examinibus Academicis quarumlibet Facultatum in Univer-  
sitate Mexicana crebro se interfuisse testatur. Hactenus Eru-  
diti Lipsienses forsitan Emmanueli Martino non  
arrisuri, a queis in Novis Supplem. tom. 1. pag.  
403. ejusdem styli ethnicismus carpitur non  
injuriam.

## ANTELOQUIUM V.

Antiquorum Collegia & Gymnasia  
Mexicanensium Indorum á gravissi-  
mis Scriptoribus bono in lumine co-  
llocantur.

**Q**uod longius ac longius barbariem propul-  
semus ab Indis Mexiceis, atque ab inscritiā  
de qua incusari solent injuste, etiamnum  
& iterum eos vindicemus, opera existimamus, si eorundem Scholas & pro  
instituendis pueris & juvenibus Collegia & Gym-  
nasia in medium & publicum adducamus, excrip-  
tis non domesticorum modō testimonijs, sed exterorum eruditionis nomine insignium. Agmen  
ducat laudatissimus Belga Justus Lipsius in Lova-  
nio

Page 106.

nio lib. 3. cap. 6. cui titulus: *Vetus Academiarum*  
*specimen in Oriente, itemque Aethiopia, Africa, & Novo Orbe*  
Ibi: *Apud Mexicanos lego Scholas in Tempis fuisse, & ad*  
*eas dirites presertim noblesque filios suos missurare solitos ab*  
*anno atatis 5. ubi à Praeceptoribus suis docelantur, coercentur,*  
*neq; egredi fas erat. Et ad usum iuuentutis hujus, terra*  
*& agri erant, é quibus fructus & annonam colligebant. Hec*  
Lipſius, cuius vestigia sequitur eruditus admodum  
Consiliarius Hispanus D. Laurentius Ramirez de  
Prado in Notis ad Luitprandum pag. 424. Suc-  
cedit Joannes Henricus Alstedius in Encyclopa-  
dia Scientiarum omnium tom. 2. lib. 18. part. 13.  
Geographia cap. 4. § 5. pag. 566. Hispania no-  
va, qua alias dicitur Hispania magna, & Regnum Me-  
xicanum, cultissima est omnium Regionum totius Americae.  
Hic est Urbs Mexico duodecim Italicas milliaribus in cir-  
citu patens, & Veneta Urbis in morem undique navigabi-  
lis. Habet quingenta incolarum millia. Est Urbs totius Or-  
bis maxima. Est ibi Schola celebris. Laurentius etiam Be-  
ierinc in Theatro vita humanæ, titul. *Academia*,  
versu *America*, ejusdem Gymnasij memor est. Ge-  
rardus Mercator in Atlante minore à I. Hondio  
aucto & illustrato Amsterodami ex Officina Joani-  
nis Janssonij 1634. pag. 63. inquit: *Fuerunt in his-  
ce India partibus plurima & quidem superba & magnifica*  
*Templa Idolis consecrata, & cetera. Fuit in Urbe Mexico*  
*celeberrimum Templum Votzilopuzli, ambitum amplissimi-*  
*babens atque area in intus pulcherrimam. In primis vero res*  
*admiratione digna cura quam Mexicanis gerebant in educan-  
dis liberis, certo scientes nihil esse in tota rerum universitate,*  
*quod plus adjumenta ad rectam rerum tam privatrum tum*  
*publicarum constitutionem adserit quam pueritie disciplina. Quid*  
verò

verò exteri Authores à nostratis isthac mutua-  
ti sunt, liber indicatos supra consulere, præsertim  
Hieronymum Roman lib. 3. citati Operis cap. 5.  
& Betancurtium p. 80. Qeis addimus P. Joannem  
Eusebium Nierembergium in Historia Naturæ  
maxime peregrinæ lib. 8. cap. 22. ex Doctore  
Francisco Hernandez septuaginta octo partes maxi-  
mi Delubri Mexicanæ politissimè describentem, c.  
verò 26. Ministros deorum enumerantem, ubi  
Mexicon tehuatzin dictum gentis idiomate, Patriar-  
chæ similem indicans, atque ejusdem cœtera mu-  
nina, inquit: *Ad eum spectabat curare ut qua ad cul-  
tum deorum persinerent, in quibusque Oppidis atque Provin-  
cijs Mexicanæ parentibus Imperio diligenter atque exquisitè  
peragerentur secundum leges ac ritus antiquorum Pontificum  
& Sacerdotum, ac præcipue que ad educationem juvenum  
instituendorum in Cœnobis Collegijs vē, vocatis Calmecac.... In  
munere eum juvabat quidam alius vocatus Vitznahoac tehuoa-  
tzin, nec non alius Tepantehuatzin cui præcipua cura erat,  
ut qui in cunctis Calmecac Provinciarum, qua subjecta erant  
Mexico, educabantur, aptè commodeque gubernarentur atque  
instituerentur. A Torquemada & Betancurto etiam  
habemus, præter Gymnasia Mexicanensia in ipsa Ur-  
be Imperij capite condita & frequentata, alia quo-  
que floruisse apud Tezcucanos, potissimum reg-  
nante Nezahualcoyotl, qui Imperatori Mexiceo su-  
berat. Nam ut erat insigni prudentiā, hujus ope-  
rā Academia instar constitutus fuit cætus Poeta-  
rum & Musicorum, magno apud Tezcucanos nu-  
mero, eorumque etiam qui Astronomiam colebant,  
& Historias ornabant, artibusque alijs se se exer-  
cebant, ut collatis rebus atque discussis, in dies  
exer-*

exercitatores evaderent & doctiores, dato ipsis Prae-  
fide filio suo Xochiquetzalzin nomine. Ita Torque-  
mada habet tom. 1. lib. 2. cap. 41. pag. 147, qui  
ad calcem cap. 45 ejusdem libri pag. 156 me-  
moratum Regem poetica laude exceluisse tra-  
dit, & ejusdem canticum ad mores formandos com-  
positum laudat, exordiumque transcribit: *Xochitl,  
Mamami m Huehuetlām &c.* Alium itidem inter Tez-  
cucanos Reges insigne cōmemorat Nezahualpilli  
dictum eodem libro c. 64. p. 188 Scrutandis sideri-  
bus deditum, tantoque Astronomiæ studio & amo-  
re flagrantem, ut quotquot ea scientia tinctos ubi-  
que sui Regni novisset, in Aulam acciret secum  
eis de rebus communicaturos, & nocturno tem-  
pore stellis & cœlo invigilaturos, cui negotio de-  
stinaverat atque ex arte compulerat Ambulacrum  
palatijs superius, quod p̄foprijs lustravit oculis Toti-  
quemada.

## ANTELOQUIUM VI.

Mexicanorum in Poetica studium &  
Oratoria traditur; peritia in rebus phy-  
siciis exhibetur, & quibus utebantur,  
Leges innuuntur; tum alia ingenii  
signa paucis notantur.

**N**on is solum, quem mox diximus, Rex  
Tezcucanus Mufis litare, excipereque  
festive canentes usi tenuerat, sed & alij  
Reges & Imperatores politissimique Mystæ & Sa-  
pien-

pienes. Poeticis enim numeris delectati, epica carmina concinebant prælonga, puerisque addiscenda tradebant, ut præteritarum rerum memoriam dulcedine metri conditam in ipsos facili negotio instillarent, & ad posteros etiam transmitterent, deque præsentibus, qua ætate carmina fundebantur, illos docerent. Atque his artibus Historiam Americæ omnem, & characteribus picturatam in Voluminibus, & repetitam Canticis, sartam tecum ad adventum usque Hispanorum servarunt, qui demum Indorum consuetudine & usu, vivaque doctiorum voce eruditæ, Libros Europæorum more, confecerunt quam plurimos & Historias absoluissimas. Alia præterea concinnabant Poemata, & mores concernentia & Herorum præclaræ gestæ, & genialibus diebus, lusibus, choræs, & similibus agendis metro aptissima. Egregiam itidem operam exhibuere in ornato dicendi genere, quod & Magistri multo usu exercitationeque sibi fecerant familiare, & ijs tradebant juvenibus quos Rhetoricis efformabant præceptis, Oratores que olim initiandos, divite supellecstile loquendi copiosissimo & elegantissimo Idiomate accurate instituebant. His hinc suæ Orationes minime incultæ, quæ in Historijs Mexicanis Hispanorum calamo scriptis leguntur ab Indis profectæ, nec ab hispanicè narrantibus scribentibusque confictæ, ut opportunè animadversum voluit P. Acosta indicando postmodum loco. Physicam excoluisse, cum apud Scriptores alios habeamus, tum præsettum apud politissimum Historiographum D. Antonium de Solis, cuius in Expugnationis Mexiceæ lib. 3.

cap.

cap. 14. legimus, amoenissima Imperatoris Mocetumæ urbaña viridaria floribus & herbis salutariibus undique regni conquistis affluentia, proque tuendâ valetudine destinata, à Physicis ejus diligenter excoli solita, studentibus florum atque herbarum nominibus, vi & indoli, ut appositissima pharmaca præpararent, libenterque omnibus impertirent optantibus, pro Imperatoris genio, sape de exitu interrogantis, felicemque cum esset, sibi gratulantis atque plaudentis. Quid vero Leges pro Republica moderanda ab Imperatoribus constituta Mexiceis Sapientum consilio & Prudentium, ni gentis culturam & ingenium præseferunt? Porro tam sunt illæ quæ ad politicam & economicamque societatem attinent rationi consentaneæ, ut si veræ Religioni conjunctæ fuissent, optari nil præterea valuisset ad solidam integrumque vastissimi Imperij felicitatem. Eas enim verò animo reputans F. Hietonymus Romanus, vir, si quis ullus, in totius Orbis Rerum publicarum, quas descripsit omnes, usibus eruditus, nullaque Indis consuetudinè junctus, apud quos nunquam fuit diversatus, ut capi 4. lib. 2. indicati supra Operis, palam scripserit, impatienter gravatèque eos audire, qui Indos belluis similes, & abjectis esse ac fordidis mentibus inquietunt, hac, alias inter, ducus ratione, quod prudentissimas Leges cōdiderint, utque vigerent ac servarentur strenuè accuraverint, de quibus multa sunt lectu digna in recensitis mox Historiographis. Jam verò (ne hoc prætermittamus) quanto Indi nostrates ingenio fuerint etiam in mechanicis rebus, libet paucis innuere verbis allati supra Gerar-

¶ 13

rardi Mercatoris pag. 637 sic scribentis: *Sunt In-*  
*di rerum Mechanicarum egregij Artifices, presertim in con-*  
*texendis varijs avium plumis & ferarum pellibus admiran-*  
*dâ varietate. Qui & laborum tam sunt patientes, ut sepi-  
simè integro die cibum non sumant, ut speciosius concinnent &*  
*aptent vel unicam plumam, eandem omni ex parte contem-*  
*plantes, tum ad Solem, tum in umbra, ut percipient, magis*  
*ne recta an inversa conveniat, erectis an deflexis crinibus.*  
*Itaque ex plumis animal quodcumque, aut florem, aut her-*  
*bam tanta dexteritate mentiuntur, ut videantur ad vivum*  
*expresse. Aurifaborum prima & precipua est conditio &*  
*pre ceteris artificiosa: adeo quidem ut res quasvis ad vi-*  
*vum exprimant: Valentque plurimum fusionis artificio, adeo*  
*ut vel herbas quasvis, tum res minutissimas fusione fin-*  
*gant tam exquisitè, ut à naturalibus differre non dicas. So-*  
*la Mexicana Civitas omnem politicam & vivendi rationem*  
*totius Nova Hispanie patescit &c. Sunt in hanc rem*  
*confertissima testimonia, quibus & Lectores for-*  
*sitan gravatamus, & extra oleas ferri videremur*  
*ea si explicati tradere animus esset, quæ mutua-*  
*ri à signatis supra Historiographis earum avidus*  
*poterit. Ne verò morosiores simus, alijs præter-*  
*missis de antiquorum Mexicanensium eruditione*  
*testimonij & documentis, ad Emmanuelem Mar-*  
*tinum revertamur, atque una cum eo*  
*fedeamus ad calculos.*

AN.

## ANTELOQUIUM VII.

Priscos Mexicanos non injuriâ sapien-  
tes inter censendos esse, rectâ demum  
consecutione ex hactenus datis infer-  
tur, injuriusque eorundem Nationi  
Alonensis Decanus probatur, si eos  
in Epistola sua indigitavit & stylo  
confudit.

**C**olophonem ut arguento, cui hactenus  
institimus, & auream coronidem impo-  
namus, Proto-Martyris Stephani verbis,  
quæ habentur in Actis Apostolorum cap. 7 V  
22. opportunè ad rem nostram utemur: *Et eru-*  
*ditus est Moses omni sapientia Egyptiorum. Ecqua vero*  
*Egyptiorum sapientia fuerit sciscitanti reponit Cor-*  
*nelius Alapide præclarus Sacrarum litteratum Interpres,*  
*& ipse omnibus litteris eruditus, in ad Exodi*  
*Commentarijs cap. 2. V. 10. Porro sapientia Egyp-*  
*tiorum erat duplex, ait Philo, & Justinus quasi. 25. ad*  
*Ortodoxos. Prima aperta ac omnibus expoita, nimirum Geome-*  
*tria, Arithmetica, Astrologia & Musica. Secunda Hieroglyphica,*  
*qua per Symbola gravissima Physices, Theologia, & Politica*  
*Facultatis mysteria edocet; hac ergo omnia quin & Medicina-*  
*nam, inquit Clemens, didicit Moses. Hæc sapientissimi-*  
*mus vir. Jam vero quod ad primam spectat sa-*  
*pientiam, Mexicanos Indos ea floruisse dubitaverit*  
*nullus, qui fidem ijs dederit quæ præscripsi-*  
*mus monumentis gravissimis, eorundem non in*

me-

memoratis solūm Facultatibus peritiem & usum  
docentibus, sed verò etiam in Oratorijs & Rhetoricis exercitationibus. Qui ergo è Sapientum albo  
expungantur, & versati in vastissima litterarum  
solitudine exsibentur, atque ita barbari & in-  
cultissimi traducantur, eorum ut nemo sit ullus qui  
aut docere possit, aut sciat aliquid, vel scire cu-  
piat, & à litteris non abhorreat? Ad secundam  
sapientiam Egyptiorum si animum advertamus, à  
Physicis tractationibus & doctrinis Indos haud  
quaquam alienos credemus, ubi scripta Anteloquio  
præcedenti meminerimus; si vero perscrutemur mo-  
numenta Hieroglyphicis litteris tradita ab ipsis,  
multa nobis Volumina suppetent Theologica nun-  
cupanda, eo ipso jure quo profecta ab Aegyptijs  
superstitioni deditis Theologica audiunt, hoc est,  
de Idolis suis & divis figuræ & symbola, & eo-  
rum etiam quæ ad id genus religionis & cultus  
spectant. Nec Politicæ rei Hieroglyphica desunt  
Mexicanensia abundè conscriptis Annalibus ab  
usque Imperio condito ad Moctezumæ postremi  
Imperatoris ætatem, bellis, expugnationibus, mo-  
litionibus, & actibus cùm amplificandi Imperij, tum  
etiam moderandi ac regendi gratiâ, opportunè signa-  
tis. Quæ cum ita habeant, deest profecto nil  
quo minus Egyptijs eruditos dicamus Mexiceos  
Indos in abstrusiori, & quam secundam diximus,  
Aegyptiorum sapientia; palamque fit, injuriâ ipsos  
prægrandi ab ijs affici, qui belluis eos suppares &  
similes credunt, ignorasseque pœnitus Mexiceas  
omnes antiquitates, famosissimosque etiam Euro-  
pæos. Authores Historicos cum primis & eruditos,

erudi-

eruditum Alonensem Decanum acerbè Indos &  
indigenas omnes exagitantem. Jam verò ubi ve-  
teribus deditum scrutandis Romanarum inscrip-  
tionum exuvijs virum, alta, qua tenebatur Mexi-  
canensium ignoratione rerum, liberare conati su-  
mus; non abs re erit, credimus, si veteris etiam  
Mexici speciem ei subjiciamus exteri coloratam  
Authoris calamo, politissimi P. Joannis Bisselij è  
Societate JESU Argonauti Americanorum lib. 13. n.  
4. pag. 343 & seq. Editionis Gedani apud Aegi-  
dium Janssonij à Vvaesberge. 1698. ita scriben-  
tis. *Mexicana tamen regionis potissima, præque ceteris His-  
pania Nova terris gloria: non modo, quod Regnum antehac  
late reliquis eminuit, ac jura dedit quacunque patet in  
Septentrionem America: sed etiam ob Mexici Principis ur-  
bium majestatem: qua sedes quondam imperij fuit. Sed tunc  
etiam Temistitanum, diversissimo nomine, dicebatur: qua nunc  
passim à Fontibus & copiascætrarum, quibus circumluitur, Me-  
xicum nuncupatur, id exprimente gentis lingua.* Sita quon-  
dam urbs hac fuit, Venetiарum exemplo, super ingentis la-  
cus medium. Is, gemino sanguis stagno, passum quinqua-  
ginta millibus ambitur: totidem circumquaque super ripam  
extructis urbibus. Nam quinquaginta fuisse, constans  
est eorum narratio, qui vetus Mexicanum oculis subjecerunt.  
Addunt; earum singulas decem millibus plus minus domum  
superbisse. Sed longissime super has omnes caput erigens Me-  
xicum, tanquam ex annulo gradi gemma pulchrior & ex-  
tantior; in medio cunctarum posita, cunctas facilè despicie-  
bat. Etenim Orbis totius urbium ( si modo fama credimus )  
spatioſſima; tectorum turriamque plusquam septuaginta quin-  
que millia surrigebat. Præterea lemborum, quos Canas ipsi  
vocant, quinquaginta millibus assidue circumnavigabatur. *Quem*  
*nume-*

numerum nec hodierni quidem Mexici populosis succidit: quippe non rarioribus, atque quondam, per stagnum excursibus recursibusque distentis. Post multa verò quae tadij vitandi causā mittimus, pag. 346, ita concludit: *Porro planitiam, in qua surgit, vallant circumfusi quaqua versum colles, humili, sed tamen vernante semper, divisorum amplitate. Remotiora vero, quaque duriorem nacta sunt auram, in montes eriguntur. Et tanquam amphiteatro gradatim eminent, jugis super juga scandentibus, qua cuncta nivibus annosis, atemaque glacie rigent.* Hactenus Bisselius Amphitheatum describens Mexiceum, quod tamen, credimus, flocci ducet Martinus, Theatrum recognitans Saguntinum, de quo à se primū detecto sibimet gratulatur, contranidente viro eruditio D. Joanne Martinez de Salafranca in Dia-  
rio Litteratorum Hispaniæ tom. 3. à pag. 189 sensumque suum Mari Arecij Syracusani testimoniō probante, jam inde ab anno 1554. edito Dialogo Theatrum illud commemorantis.

## ANTELOQUIUM VIII.

Emmanuelis Martini ignorantia de Mexicana eruditione ab eo tempore quo excoli ab Hispanis America cœpit ad usque ætatem nostram, aperitur, & in scribendo temeritas confutatur.

**H**actenus, neutiquam spernendam Indo-  
rum Mexicanensium eruditionem, qua retro claruerunt, in Theatrum deduximus

nus, ostendendi ergo quam sint vel ipsis injuria-  
sa, & à vero aliena quæ Decanus Alonensis scrip-  
vit. Quoniam verò non Indos ille veteres cogita-  
vit, sed novos indigenas, in ijsque, & Hispanos  
in America natos, & alibi genitos viros in ipsam as-  
citos, quos ad unum omnes quam longissime dissitos  
credidit à Minervæ sedibus & pomærijs; ejusdem ut  
in hisce rebus ignorātia scribendique temeritas ape-  
riatur & propulsetur, è re nostra est. *Quo te conferes apud  
Indos, inquit, in tam vasta litterarū solitudine?* Ita ne, bone?  
Hanc ut dedoceare non opinionem dicimus, sed  
temeritatem: vel ut enucleatus dicamus, amentiam,  
quanta in vastissima littetarum solitudine littera-  
rum Domicilia duobus ab hinc seculis condi cœ-  
perint, in diesque ad delicias usque sapientissimo-  
rum hominum effluerint, paucis audito. Sunt  
apud Americanam Mexicanam Universitates seu  
Academiæ Pontificia Regiaque autoritate con-  
ditæ Mexicana, quæ Princeps est, & ante duo se-  
cula, Carolo V Cœsare, constituta: Hispaniolensi,  
Goatemalensis, Habanensis, Garaquensis, Juca-  
tanensis, in quibus Europæorum more Scientiæ  
omnes traduntur & Facultates, Gradusque Aca-  
demici ad Doctoratum usque pro scholarium &  
candidatorum meritis, singulis destinantur. Sunt  
Collegia, Seminaria, & id genus Athenæa pro in-  
stituendis adolescentibus & omnigenâ formandis  
eruditione. Quot verò si quereras isthæc Domici-  
lia sapientiæ sint, haud facili, forsitanque incredi-  
bili. Tibi supputatione dabimus. Id exploratum  
certumque habemus, quod ad Mexicanam Aca-  
demiam spectat, sexaginta non minus Lycea esse.  
\* si